



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Decisio LXXII. Argumentum. Disputatur de justitia, vel injustitia aliorum duorum pactorum circa contractus Livelli Unum, An Livellariæ pensiones non solutæ possint converti in capitale? Aliud circa ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

*emphyteut.* in qua, etiamsi hoc pactum insertum non fuerit, sancitur, ut *Emphyteuta* venditurus melioramenta sua teneatur præferre dominum, & ad hunc effectum eidem voluntatem suam vendendi denunciare teneatur, & eum per duos menses expectare. Igitur hoc idem jus servandum est etiam in *Livellis*, qui ab *Emphyteusi* non distinguuntur in hac parte ob directum dominium, quod remanet apud dominum *Livelli*, ut in terminis dicit *Leotard.* de *Usur.* quæst. 65. num. 9.

3. Ob pactum expressum, super quo convenire ipsi contrahentes in contractu *Livellario*, cujus observantiam præstare tenentur, l. ultim. C. de Pact. inter empt. & vend. l. 2. & 3. C. de Donat. quæ sub modo, vel cond.

Neque obstat, quod *Livellarius* obligatus sit vendere domino *Livelli* utiles rationes suas viginti solidis minis. Nam, cum id sit in signum, & obsequium directi domini, & versetur in re minima, non est de eo curandum, l. Omnino 12. ff. de Impens. in reb. dot.

Prout non officit textus in l. Dudum, C. de contrahen. empt. neque autoritates *Cardin. Parisii* à *Manento* supra allegati. Quia loquuntur de privilegio consanguineorum circa jus retractus, quod ex jure communi erat prohibitum, sed vigore statutorum servandum venit, quamvis strictè sit interpretandum, ut ait *Cardin. Parisius* in dict. conf. 82. num. 4. lib. 3.

Tandem non intrat objectum Constitutionis *Pianæ*, prohibentis in censibus pacta omnia auferentia, vel restringentia facultatem alienandi rem censui suppositam, ut notat *Navar.* de *Usur.* num. 117. *Molina* disput. 390. num. 8. *Ugolin.* de *Usur.* cap. 45. §. 2. Nam respondetur, illam legem Pontificiam non arctare *Livellos*, ut diximus supra, saltem in his, quæ non sunt contra jus divinum, naturale, vel gentium. *Comitol.* dict. lib. 3. resp. *Mor.* quæst. 29. num. 2. Sed ulterius eadem *Bulla Piana* non vetat, imò concedit prælationem domino census, quoties censuarius rem censui suppositam vendere veller, ut ex ejus lectura apparet, & advertit *Leotard.* d. quæst. 65. num. 23. *Navar.* de *Usur.* d. num. 127. *Lessius* lib. 2. cap. 22. num. 84. & *Ugolin.* d. cap. 45. §. 3. num. 1. eò quia aliud est, quod nulli alii, quam mihi, res vendi possit, & aliud, quod in venditione *Livellarius* meipsum præferat eodem pretio, quod ab aliis potest habere, minis solidis viginti.

## DECISIO LXXII.

### ARGUMENTUM.

Disputatur de justitia, vel injustitia aliorum duorum pactorum circa contractus *Livelli*. Unum, An *Livellariæ* pensiones non solutæ possint converti in capitale? Aliud circa pacta affrancationis *Livelli* potissimum ad beneplacitum *Livellantis*.

### SUMMARIUM.

1. Prodia *Livelli* non soluta an possint converti in capitale?
2. Pecunia est realiter numeranda in actu creationis Censuum.
3. Pecunia præsens in Censu an sit de natura Censuum?
4. Capitale *Livelli* augeri potest ex prodiis non solutis in puncto Juris.

Doct. Cleyerati Tom. II. Lib. IX.

5. Secus in Praxi, & de honestate.
6. Abstinentum ab eo, quod honestum non creditur.
7. *Livellario* non solvente pensiones quid agendum?
8. Pactum adstringendi *Livellarium* ad affrancationem, an sit licitum?
9. Censuum affrancatio in obligationem deduci non potest.
10. *Livelli* perpetui quomodo constituentur?
11. An de Jure sint liciti?
12. Pactum francationis tripliciter fieri contingit.
13. Pactum francationis pro arbitrio *Livellarii*, cum *Livellantis* licitum.
14. Ad libitum solius *Livellarii* multo magis licet.
15. Recuperatio fundi venditi, quo pretio sit facienda?
16. Pactum francationis *Livelli* ad certum tempus quem effectum habeat?
17. *Livellum* faciens cum pacto, ut ad sui libitum affrancetur, videtur mutuum cum *Usura* facere.
18. *Commoda* si sentis, junge onus emolumentis.
19. Pactum affrancationis idem est ac retrovenditionis fundi.
20. *Emptio* & *Venditio* fundi expellit contractum mutui.

Sequitur examinandum pro justitia contractus *Livellarii*.

### PACTUM QUINTUM.

Videlicet: An pecunia debeat esse præsens, dum *Livellus* constituitur?

Intelligentia hujus pacti pendet à resolutione sequentis Casus.

*Petrus*, ob *Livellarias* pensiones decursas, & non solutas, debet tibi quingentos ducatos: & non habens, unde solvat, rogat te, ut illos in novum *Livellum* francabilem convertas super eodem fundo, ad rationem quinque cum dimidio pro centenario. Quaritur, An licitè fieri possit?

In contractu census post Constitutionem S. Pii Quinti extra controversiam est, non posse creari novum censum ex pensionibus decursis, & non solutis, eò quia Summus Pontifex in ea statuit, Censum, seu redditum annum constitui nullo modo posse, nisi verè in pecunia numerata, præsentibus testibus, & Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius, & ita tenent *Molina* disput. 390. num. 2. *Rebell.* lib. 19. quæst. 9. num. 4. & quæst. ult. num. 1. *Salas* de Censib. dub. 8. num. 8. & 11. *Ugolin.* de *Usur.* cap. 51. §. 1. Censius de Censib. part. 2. cap. 1. quæst. 1. art. 5. num. 36. & *Rota* post dict. tractatum decis. 81. dec. 92. & decis. 119.

Tota quæstio reducitur, An ex Jure Naturali sit necessarium, ut in creatione Censuum pecunia sit præsens, & actualiter numeretur censuario? Et in hoc dissident Theologi: quia alii affirmant, & alii negant, ut videre est apud *Salas* de Censib. dict. dub. 8. num. 12. & *Cardin.* de Lugo disput. 27. num. 84. ubi, non esse de necessitate, ut præsens pecunia sit, verius esse concludit de jure naturæ. Porro quicquid sit in creatione census secunda *Bulla Piana*, in acquisitione *Livelli*, si in puncto juris, & ex justitia, ac securitate conscientiarum quaramus, resolvendum est. pensiones *Livellarias* decursas, & non solutas posse deservire ad constituendum novum *Livellum*, etiam super eodem fundo, si sit capax reddendi tot fructus, quot valeant pro solutione pensionis veteris, ac novæ, sin minus, super alio

P a fun.

fundo. Ratio resolutionis est, quia quilibet potest vendere rem suam creditori, & illi eam pro debito dare. l. In numerationibus 44. ff. de Solutionib. & tradit Bartol. in l. Singularia. num. 26. ff. si cert. petat. Cum itaque Petrus in proposito casu velit vendere tibi creditori aliam fundi Livellarii portionem, ut tibi satisfaciat pro decursis pensionibus Livellariis; tu jure potes emere dictam fundi portionem, & eam in solum recipere pro tuo credito; tunc enim datio hæc in solum habet vim pretii, l. Si pradium, C. de Evictionib. Navar. consil. 1. de Empt. & Vendit. lib. 3. Cardin. Paris. consil. 75. num. 32. lib. 4. Rota post Cencium de Censib. decis. 81. num. 2. & decis. 92. num. 5. Leotardus de Usur. quest. 60. num. 9. Qua postea completa fundi emptione, quæ est fundamentum contractus Livellarii, poteris retrocedere eundem fundum, id est ejus novam portionem acquisitam, Petro ad Livellum ad rationem quinque cum dimidio pro centenariis, prout in Casu.

- 5 Hæc dicta sunt in puncto juris, & ex justitia, ac securitate conscientie: nam totum contrarium pro praxi dicendum erit, tum respectu utilitatis, tum etiam respectu honestatis. Utile non videtur, facere novum Livellum cum debitore moroso, & contumace in solvendo, qui, sicut defecit in præteritis solutionibus, idem præsumitur facturus in futuris, cap. Scribam 9. de Præsumpt. Glossa in cap. Semel malus, de Regulis jur. in 6. Honestum quoque esse non potest, pensiones decursas in Livellum convertere, ne scandalizentur pusilli, ob illud brocardicum: *prodia non faciunt prodia: sive pecunia pecuniam non parit.*
- 6 Decianus volum. 1. resp. 2. num. 22. decet autem probum virum in suis contractibus non solum facere, quod est licitum, sed etiam abstinere ab eo, quod honestum non creditur, l. Semper 197. ff. de Reg. Jur. Pichardus Institut. Civil. titul. 1. §. 4. num. 13. Quare tutius, & laudabilius erit, executiones reales facere contra debitorem prædictum ad consequendas pensiones Livellarias decursas, cui si bona mobilia non forent ad solvendum, poterit creditor intrare in tennatam, ac possessionem fundi Livellarii ex decreto
- 7 Judicis, prævia æstimatione valoris ejusdem, juxta Statutum Patavinum sub Rubr. de Pignoriis. & Tenutis, Vers. Si aliqua res immobilis. Vel eundem fundum subhastari facere, & vendi ad publicum incantum, & in defectu emptorum, ipse creditor illum emet cum beneficio quinti, id est quinta parte minus valoris, æstimationisve ejusdem fundi, juxta Ordinationes, & Decreta Illustrissimorum, & Excellentissimorum Syndicorum, Inquisitorumque in Terra firma à Serenissimo Principe cum autoritate suprema Deputatorum Anno Domini 1675. & pro foro Patavino promulgatorum die 28. Januarii ejusdem anni, quæ leguntur impressa in calce Statuti Patavini pag. 350. terg. num. 8. Sic enim creditor, & utilitati propriæ prospiciet, consequendo quod sibi debetur, & fundi dominium directum, & utile adipiscendo absque scrupulo, majorique securitate, & honestati obsequetur, abstinendo à suspitione feneratoris, quod prima facie præsumi posset ab iis, qui in animo vel multam invidentiam fovent, vel parvam habent intelligentiam. Nam, ut ait Cicero in Orat. pro Corn. Balbo, est aliquid quod non oportet, etiamsi liceat. Et Claudianus admoniturus Honorium ita cecinit:

Sed comprime motus,  
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,  
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Tandem ad plenam intelligentiam contractus Livellarii, restat adhuc explicandum

#### PACTUM SEXTUM.

In quo Quæritur, An in Livello licitum sit pactum adstringendi Livellarium ad francationem ad omne beneplacitum Livellantis, seu creditoris Livelli?

Clerus noster respondit, extra omnem controversiam esse, quod in censibus tale pactum illicitum habeatur, ob expressam prohibitionem Pianæ Constitutionis, quæ quidem præcipit, ut censuarius ipse possit ad suum beneplacitum redimere censum, & se affrancare, quocunque pacto in contrarium non obstante, & nulla præscriptione temporis impediante, etiamsi de hac facultate redimendi nihil dictum esset in contractu, quæ facultas transit etiam ad hæredes censuarii, ejusque successores: At vice versa eadem Pianæ Constit. prohibet censualitæ, dominovæ census, obligare, seu cogere censuarium ad redimendum, & francandum censum, uno casu tantum excepto, videlicet, quando censuarius denunciaisset eidem censualitæ, se velle redimere censum, & francare; tunc enim, ne videatur censuarius illudere domino censui, cogi potest ad redimendum, & solvendum pretium census intra annum à die denunciationis, ut cantant verba Bullæ Pianæ, & tradunt Theologi, & Jurisperiti, quos cumulat Salas de Censib. dub. 25. num. 1. & Leotard. de Usur. quest. 67. & 68. novissimè Eminent. Cardin. de Luca de Censibus disc. 10. 11. & 12.

Porro, utrum sit idem jus, eademque prohibitio in Contractu Livellario? varii varia scripserunt: quomobrem ad evitandam obscuritatem, seligendo certa ab incertis, ut clarè, & manifestè pateat tum confessariis, tum contrahentibus, nec non Notariis, Advocatis, Judicibus, quid licitum, & justum sit in hac materia francationis, & redemptionis Livellorum, placuit, eam radicis attingere, & notare, quod Livelli vel sint perpetui, & irredimibiles, vel sint redimibiles, & francabiles.

Livelli perpetui, & irredimibiles sunt illi, in quorum constitutione contrahentes expressè convenerunt, eos in perpetuum duraturos esse, admissa tantummodo renovatione Instrumenti singulis viginti novem annis, cum honorantia unius paris gallinarum, vel modico alio dono in obsequium directi domini; contra quam investituræ renovationem blaterat Manentius dict. quest. 1. Part. 12. ob falsum principium, in quo residet, quod scilicet dominus Livelli non sit dominus fundi, cujus venditionem imaginariam, & simulatam sibilat: quam opinionem erroneam esse demonstravit Martia d. cons. 126. & de Clausul. part. 2. claus. 3. & nos supra comprobavimus. Idcirco, quamvis census perpetuos, & irredimibiles vetuerit Constitutio Pianæ certis de causis, quas recenset Leotardus de Usur. d. quest. 67. num. 4. & quæ non militent in Livellis ob disparem naturam horum contractuum, ex eo potissimum, quod in Livello dominium directum, & proprietarium fundi remanet apud Livellantem, at in censu nullum domi-

minium habet censuista super fundo, cui in-  
nexus est census; certum est, perpetuitatem  
11 Livellorum non esse à jure reprobam, eosque  
perpetuos fieri posse, & irredimibiles, si minor  
pensio Livellaria constituatur, & minus Livella-  
rius gravetur, ut testantur & universalis con-  
suetudo totius Italiae; & Doctores, qui de hac  
materia scribunt, concedentes, etiam census de  
jure posse fieri perpetuos, & irredimibiles, cir-  
cumscrip- Constitutione Pontificia S. PII  
QUINTI, si justum pretium intercedat, & di-  
minuatur annua pensio, quæ apud nos restrin-  
gitur ad quatuor pro centenario, si Livellus sit  
perpetuus. Leotard. *de Usur. dict. quæst. 67. num.*  
15. & ibi Felician. *de Censib. lib. 1. cap. 7. num. 5.*  
Igitur firmum remanet, Livellos perpetuos  
esse licitos, in quibus pensio solvitur ad ratio-  
nem quatuor pro centenario, habito respectu  
ad valorem fundi, & de his nulla quæstio, aut  
disputatio esse potest.

Quod si Livelli sint temporales, & ut vulgò  
appellantur, francabiles, ad cognoscendam ju-  
stitiam pactorum, quæ fieri solent super facul-  
tate francandi, distinguendi sunt tres casus,  
12 eò quia tripliciter pactum francationis, & re-  
demptionis Livelli emitti potest; videlicet vel  
in gratiam utriusque contrahentis, scilicet Li-  
vellarii, & Livellantis, vel in gratiam, & arbi-  
trium Livellarii tantum, vel in arbitrium, &  
favorem solius Livellantis.

Primus casus est, quando pactum francatio-  
nis ponitur in arbitrio utriusque contrahentis,  
13 ita ut tam Livellarius, quam dominus Livelli  
possit petere francationem, vel quandocunque,  
vel intra, aut extra tempus communiter deter-  
minatum; & in hoc casu nulla est difficultas; &  
conceditur à Doctores, ut scribunt Bonacina  
*tom. 2. de Contract. disput. 3. quæst. 2. punct. 3. num.*  
15. Lupus *in lib. 2. C. de Pact. inter empt. & Vend.*  
*Comment. 2. in Pras. num. 25.* Cardin. de Lugo  
*disput. 26. num. 183.* Cardin. Toletus *de Sept.*  
*peccat. mortal. capit. 52.* Cardin. Mantica *de Tacit.*  
*lib. 4. tit. 31. & tit. 32. ubi leges, & DD. & Ma-*  
*strius in Theol. Mor. d. disput. 5. num. 30. & 31.*

Secundus casus est in gratiam, & arbitrium  
Livellarii tantum, quando scilicet Livellarius  
vendidit fundum alicui, cum pacto retrocessio-  
nis illius ad Livellum, à quo quidem quando-  
cunque valeat se francare ad omne suum be-  
neplacitum, sed adstringi non possit per Li-  
vellantem ad dictam francationem faciendam,  
14 ita ut à sola sua voluntate, & arbitrio pendeat,  
facere, vel non facere francationem. Tale pa-  
ctum pariter licitum esse, omnes Doctores con-  
cedunt Molina *de Justit. & Jur. disput. 374. Les-*  
*fius lib. 2. cap. 21. dub. 14.* Navarrus *cap. 17. num.*  
248. ubi advertit etiam, quod emptor justè  
possit locare venditori ipsum fundum honesta  
pensione, l. Fundi partem, ff. de Contrab. empt. cap.  
Cum Joannes, de fide Instrum. Cardin. de Lugo *disput.*  
26. num. 184. & Tamburin. *in Decalog. lib. 8.*  
*tract. 3. §. 8. à num. 15. & seqq. & fulcitur tum*  
*autoritate, l. 2. C. de Pactis inter emptor. & vend.*  
ubi permittitur venditori, rem suam vendere  
cum pacto illam ad suum beneplacitum recu-  
perandi; tum ratione, quia pacta inter contra-  
hentes inita sunt servanda, l. Contractus, ff. de Reg.  
Jur. præcipue quæ sunt ad favorem venditoris  
circa francationem onerum; res enim favora-  
bilis est liberare res suas. Glossa *in l. ult. C. de*

*Pactis pignor. & publicè interest, prædia libera*  
possideri, & debitores posse exonerari. Leo-  
tardus *de Usur. dict. quæst. 67. num. 4.* & Decianus  
*Vol. 2. resp. 68. num. 19.* ubi unum valde notabi-  
le dicit, quod scilicet hoc pactum possit in  
quemcunque cedi; quod etiam videmus pra-  
cticari, & ejus vigore multi divites emunt tale  
pactum, & cum eo cegunt emptores restituere  
bona prius empta; quod docuit idem Decia-  
nus etiam *Volum. 5. respons. 64. num. 24.* Et Card.  
Mantica *dict. lib. 4. tit. 32. num. 113.*

Disputant nihilominus Doctores circa hunc  
casum, quale debeat esse pretium restituendum  
15 emptori? & concordant omnes, quod, si pa-  
ctum fuerit, retrovenditionem fieri eodem pre-  
tio, quo fuit prius res vendita, servandum sit pa-  
ctum: si nihil dictum sit, probabile asserunt,  
quod emptor prætereundum possit pretium cur-  
rens tempore redhibitionis; vel si emptor gra-  
ve dispendium pateretur redhibendo, compen-  
sandum sit arbitrio prudentum. Tambur. *dict.*  
*lib. 8. tract. 3. §. 8. à num. 19. & seqq. & Cardin.*  
*de Lugo dict. disput. 26. num. 189.*

Tandem notant circa hunc secundum casum;  
facultatem recuperandi fundum, & francandi  
Livellum ad favorem venditoris, seu Livella-  
rii, fieri solere aliquando cum aliqua exceptio-  
16 ne temporis, puta posse francare Livellum, &  
redimere fundum, sed tribus annis, vel sex, aut  
octo transactis; & tunc dicunt, nullum aliud  
versari discrimen, nisi expectare cursum tem-  
poris præfiniti. Decian. *Volum. 1. resp. 2. num. 131.*  
*& Volum. 2. resp. 13. num. 32.* Tamburin. *ubi prox.*  
*num. 15.* Cardin. de Lugo *num. 187.* ubi vice  
versa scribit, quod si facultas prædicta restricta  
foret ad determinatum numerum annorum, iis  
transactis, Livellus fieret perpetuus, neque  
amplius posset Livellarius illum francare. l. Æ-  
milius; ubi Bart. & DD. ff. de Minoribus. & Marta  
*conf. 81.* ubi tenet hoc pactum præscribi spatio  
annorum triginta.

Tertius casus est, quando Pactum francatio-  
nis factum est ad favorem solius emptoris,  
qui sibi libertatem, & facultatem reservavit,  
quandocunque sibi placuerit, adstringendi Li-  
vellarium ad recuperandum fundum & fran-  
candum Livellum cum restitutione pecuniæ,  
seu pretii ab initio dati; & in hoc casu pluri-  
mis DD. pactum visum est injustum, iniquum,  
17 & usurarium, nisi pensiones Livellariæ antea  
exactæ computentur in sortem. Nam

1. Qui dat alicui pecuniam, cum facultate  
eam repetendi ad suum beneplacitum, mutuum  
committit. l. 2. in princip. ff. Si cert. perat. & l.  
Cum quid ff. eod. l. 1. §. 1. & l. 4. ff. de oblig. &  
act. Sed ubi est mutuum, & aliquid recipitur  
ultra sortem, usura committitur, Sotus *de Justit.*  
*lib. 6. quæst. 1. art. 1.* & Clerus noster supra *De-*  
*cif. XXV. num. 1.* Ergo cum pactum faciat con-  
tractum mutui, sequitur illud esse usurarium.

2. Qui dat alicui pecuniam, & ab eo recipit  
pignus fructiferum, tenetur computare fructus  
in sortem, alias committit usuram. cap. 1. & 2.  
de Usuris, cap. Cum contra. cap. Significante. de Pignori-  
bus. l. 1. & 2. de Pignorat. act. Sed in casu Li-  
velli fundus videtur deservire loco pignoris;  
quia in eo consistit securitas denariorum, qui-  
bus formatur Livellus. Ergo non computa-  
tis Livellariis pensionibus in sortem, erit  
usura.

2. Facit textus in cap. 25. *Leviticus*, ubi statutum legitur, quod filii Israel, qui suas vendidissent possessiones, possent eas quodcumque redimere reddito pretio, at in eo fructus computarentur.

4. Urget text. in cap. *Ad nostram* 5. de *Empt. & Vendit.* in quo declaratur usuraria emptio bonorum facta cum pacto recuperandi, per restitutionem pretii.

5. Idem confirmatur in consimili casu venditionis per textum in cap. *Illos vos* 4. de *Pignoribus*.

6. Quodcumque in contractibus plus oneratur una pars, quam altera, nisi compensetur aliunde, committitur iniustitia, & contractus est iniustus. *Reginald. lib. 25. num. 293.* ubi ait  
18 *Commoda si sentis, jungas onus emolumentis.* Sed in hoc casu emptor imponit onus grave venditori, dum vult illum adstringere ad sui beneplacitum ad francationem, quam venditor facere non potest, & nullam recipit compensationem. Ergo hoc pactum est iniquum, & iniustum; prout illud esse usurarium docuerunt *Socus de Justit. lib. 6. quest. 5. art. 3. conclus. 1.* *Covaruv. Var. lib. 3. cap. 9. num. 4.* *Navar. in Commentar. de Usur. num. 122.* *Cardin. Mantica de Tacitis & amb. lib. 8. tit. 22. num. 22.* *Rota post Cencium de Censib. decis. 147. num. 6.* ubi plurimos allegat; Et coram *Cardin. Seraphino decis. 1006.* *Novissimè Emin. Cardin. de Luca de Censibus dict. disc. 10. sub num. 3.* & *Gonzalez in Comment. ad capit. Ad nostram* 5. de *empt. & Vendit. num. 3.* ubi innumeros *DD.* numerat.

His tamen minimè obstantibus firmatum fuit per studiosos nostri Cleri, amplissimis votis, pactum, de quo in casu, adstringendi *Livellarium* ad francationem *Livelli*, licitum, & iustum esse,  
19 quamvis ad beneplacitum emptoris; ea ratione, quia nihil aliud est, nisi pactum redimendi fundum, quem emit à *Livellario* cum hoc pacto; omnes autem doctores *Theologi*, *Canonistæ*, & *Jurisperiti* concedunt, tale pactum posse contrahentes stipulari in actu emptionis, & venditionis non tantum ad utriusque commoditatem, & voluntatem, sed etiam ad beneplacitum solius emptoris, ne sit deterioris conditionis venditor, seu *Livellario*, ad cuius arbitrium francatio remitti potest. *Lupus dict. comment. 2. num. 26.* *Vgolin. de Usur. cap. 42.* *Molina disput. 377. num. 8.* *Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 10.* *Valent. disput. 15. quest. 22. punct. 6. & quest. 25. punct. 2.* *Salas alios allegans de Censib. dub. 25. num. 1. & 2.* ubi rationes reddit; *Cardin. de Lugo dict. disput. 26. num. 200.* *Bonacina dict. disput. 3. quest. 2. part. 3. num. 6.* *Leotard. de Usuris dict. quest. 68. à num. 4. & seqq.* & plurimis congestis *Farinac. de Fals. & simulat. dict. quest. 163. num. 20.* quibus adstipulatur *Gonzalez ubi supra, num. 4.* & ibi *Fachineus, Castillo, Mascardus*, & alii ita tenentes, inter quos *Cevallos Commun. contra com. quest. 224.*

Neque obstant rationes contrariæ.

Non primum de Mutuo; quia cum in hoc casu interveniat res, & pretium, & sic contractus emptionis, & venditionis fundi, non potest esse locus contractui mutui, quo cessante, cessat etiam omnis labes fœnoris; neque enim *Livellarius* solvit pensionem super sortem, ratione mutuæ pecuniæ, sed ratione fructuum, quos colligit ex fundo, eidem retrocesso in

*Livellum* ab emptore, cuius mens, & intentio fuit emptionis contractum inire, non autem mutui; & essentia, ac natura contractus pendet à mente, & intentione contrahentium. *Molina d. disput. 377. num. 8.* & *Bonacina dict. rom. 2. de contractibus disput. 3. quest. 2. punct. 3. num. 8. 9. & 10.* ubi alios allegat. Latè prædictus *Gonzalez in dict. c. Ad nostram, de Empt. & Vend. num. 4.*

Non obstat secundum, ex supradicta ratione, contractum scilicet fuisse emptionis, & venditionis, non autem mutui, neque pignoris. Et quamvis *Livellarius* venditionem simulasset, & intendisset mutuam pecuniam recipere, & dare fundum loco pignoris, nihil officere posset emptori; nam inquit *Bonacina* ubi supra, *Emptorem* tutum esse in conscientia, emendo cum intentione inveniendi verum contractum emptionis, etiamsi venditor occulte simularet inire contractum venditionis cum intentione recipiendi mutuam pecuniam. Ratio est, quia venditor non debet sua simulatione, & fictione præiudicium, & detrimentum asserere emptori, ipsius fisiones ignoranti, sed illum debet servare indemnem, sic enim postulat natura contractus, & iustitia, ut perspicuum est inter omnes. Ita *Navar. cap. 17. num. 248.* *Trullench. in Decal. lib. 7. cap. 20. dub. 14.* Nec non *Gonzalez d. num. 4.*

Non obstat tertium ex textu *Leviticus* cap. 25. quia ut observat *Cardin. de Lugo dict. disput. 26. sub num. 184.* illa fuit lex positiva, & specialis pro *Judeis*, ne unus diceretur supra alium, & ideo, cum præcepisset Deus, possessiones eorum esse quodammodo inalienabiles, ita ut si alienarentur, anno *Jubilæi* deberent restitui pristino domino absque pretio, si forte emptor ad efugiendam gratuitam restitutionem prædictam coegisset venditorem ad redimendum fundum venditum cum restitutione pretii, debebat & ipse computare fructus perceptos ad ejus pretii diminutionem. Sive dicemus cum *Mastrio dict. disput. 5. num. 32.* ibi non intervenisse venditionem prædiorum, quæ non poterant alienari ex Dei præcepto, sed tantummodò venditionem fructuum, qui propterea debebant computari in pretio.

Non obstat quartum ex cap. *Ad nostram* 5. de *Empt. & Vendit.* Quia in eo textu usuraria, & iniusta fuit emptio pronunciata ob quatuor rationes.

1. Quod partes intenderunt mutuum contrahere, quod palliatum fuit postea sub nomine emptionis, & venditionis.

2. Quia pretium fuit iniustum, nam vix attingebat dimidium justî valoris fundi.

3. Quia emptor solitus erat fœnerari;

4. Quia prohibuerat recuperationem ante septennium, & post novennium; unde cum pretii exiguitate volebat lucrari fructus. Ita *Covaruvias Variar. lib. 3. cap. 8. num. 3. & 4.* *Molina alius citatis disput. 375. num. 7.* *Azor. 3. part. lib. 8. cap. 12.* *Mastrius d. disput. 5. num. 32.* & cæteris clariùs antedictus *Gonzalez ibid. num. 4.*

Non obstat quintum ex cap. *Illos vos* 4. de *Pignoribus*. Siquidem in prædicto textu non intervenerat venditio fundi, sed datio in pignus; cumque ibi creditor recepisset pecuniam supra sortem, & esset solitus exercere usuram, contractus declaratus fuit usurarius. *Glossa*, & *Abbas ibid.* Sed in nostro casu contractus non fuit pignoris, sed veræ, & realis emptionis. *Molina d. disput. 377. num. 8.* *Mastrius ubi supra num. 32.* & *Gonzalez num. 4. usque in finem.* Non

Non obstat Sextum, & Ultimum, quod ex hoc pacto francandi ad beneplacitum solius emptoris oneretur venditor & gravamen ei inferatur; ex quo, nisi compensatio fiat in pretio, resultat injustitia. Nam non negatur in hoc casu esse compensandum Livellarium, & pensionem, quam solvit ex Livello, esse debere ad rationem quatuor pro centum, ac si Livellus perpetuus foret: quia cum dependeat francatio à beneplacito emptoris, qui potest nunquam velle francationem, Livellus sapit perpetuitatem respectu Livellarii, cui debita est compensatio ob hoc gravamen, & sic diminutio pensionis Livellarii, juxta communem doctrinam scribentium. Reginald. dict. lib. 25. num. 294. Bonacina d. rom. 2. de contract. disp. 3. quast. 2. punct. 63. num. 6. Azor. d. p. 3. lib. 8. cap. 12. Ver. Octavo quaritur. Molina d. disp. 377. num. 8. & Cardin. de Lugo d. disp. 26. num. 201.

Illud tandem corollarii loco, & pro conclusione materia Livellarii notarunt studentes nostri: quod etsi raro videatur in praxi hoc pactum francationis in solius emptoris arbitrio constitutum, optimum fuerit à Confessariis, & Parochis tum contracturos, tum Notarios monere, ut ab eodem pacto prorsus abstineant, cum præferat talem qualem usurae suspicionem; laudabilius namque erit, inire pactum ipsum commune & Livellanti & Livellario; prout ego vidi in instrumentis hujus contractus ab honestis viris, & prudentibus Notariis practicari; sic enim servatur æqualitas, & per consequens justitia, quæ principalis scopus semper esse debet contrahentium, ut ex Gregor. de Valen. & aliis Theolog. notat Leotard. de Usur. d. quast. 68. num. 4.

DECISIO LXXIII.

ARGUMENTUM.

Demonstratur, non esse dicendam illicitam constitutionem Livelli super minori numero camporum existentium in corpore, & de corpore possessionis, seu campanæ majoris summae; etsi confines illorum paucorum camporum individualiter non specificentur in instrumento Livelli.

SUMMARIUM.

1. Confines camporum in Livellum datorum an sint specificandi?
2. Praxis Notariorum instrumentandi Livellos super minori numero camporum de corpore terra majoris numeri.
3. Venditio fundi præcedere debet constitutionem Livelli.
4. Venditio minoris quantitatis camporum in corpore majoris quantitatis terra existentium, eis non specificè designatis valet.
5. Dominium directum camporum stat in Livellante: Utile in Livellario.
6. Veritas venditionis fundi ubi est certa, ibi non debet esse dubium de Livello subinde constituto in eodem fundo.
7. Bulla S. Pii V. de Censibus non est extendenda ad Livellos.
8. Census fieri potest super fundo non expressis confinibus ejus.
9. Confinium camporum expressio tribus modis fieri potest.

10. Tornatura quid sit? & quid significet?

11. Tenuta camporum Livellatorum pro pensionibus non solutis quomodo apprehendatur?

12. Confines sufficiunt totius possessionis, pro Livellandis aliquibus campis de ejus corpore.

13. Melioramenta fundi post Livellum spectant ad Livellarium.

Invaluit scrupulus in mente zelantis Concionatoris ex ordine RR. PP. Capuccinorum, qui piè, ac fructuosè contra Usurariam labem prædicaverat, quod peccaminosa, & non tolerabilis sit praxis, quæ in hoc Serenissimo Statu Veneto viget, dandi ad Livellum [Exempli gratia] quatuor campos è corpore unius possessionis camporum centum, recepta pecunia conventis valoris eorundem quatuor camporum, absque tamen specifica extractione, aut declaratione confinium, seu terminorum camporum eorundem quatuor, sed tantummodò expressa situatione totius integri corporis prædictorum camporum centum. Talis scrupulus fundabatur in Bulla 79. S. Pii Quinti Incipien. Cum onus Apostolica servitutis &c. circa creationem Censuum; de qua dictum est supra Decis. LXX. num. 6. In ea enim inter cætera requisita pro validitate Censuum præcipitur, ut bona, super quibus Census constituitur nominatim suis finibus designata sint. Quapropter præfatus R. P. Capuccinus Concionator voluit me consulere super hoc dubio, cui ego respondi esse merum scrupulum, ideòque flocci faciendum, ac Notariorum praxim ita instrumentandi non esse criminandam, nec redarguendam, quia irreprehensibilis est; & Livelli ut supra creati, sunt liciti, & ab omni labe usurae, seu nullitatis vitio immunes.

Siquidem ad constituendum Livellum opus est, ut præcedat venditio fundi, quam facit ille, qui indiget pecunia, & eam recipit ab emptore cum pacto, ut retento apud ipsum emptorem directo dominio fundi venditi, sibi retrocedat ejusdem fundi dominium utile; cujus respectu promittit se soluturum quatuor vel quinque; & ad summam quinque cum dimidio pro centenario habita relatione ad pecuniam solutam pro emptione ejusdem fundi à Livellante, ut expositum est supra Decis. LXXI. à num. 3. & seqq. & ex Theologis docent Comitulus in Resp. Moral. lib. 3. quast. 29. ex Jureconsultis Decianus Resp. 23. num. 26. vol. 5. Marta clausul. 3. num. 7. part. 3. nec non consil. 126. num. 5. ubi alii multi. Porro si quis vendat quatuor campos amplioris agri, campanæ, seu possessionis, nec designet individualiter in qua parte iidem quatuor campi existant, aut à quo latere sint extrahendi, nihilominus venditio valida est; quia in eis extrahendis, & specificè designandis, ac individualiter specificandis electio est venditoris juxta textum in l. Si ita, 25. & in l. Si in emptione 34. §. emptio. ff. de Contrah. empt. Leotardus de Usuris quast. 58. num. 54. ubi alios DD. cumulat. Igitur cum valida sit emptio, & venditio eorundem quatuor camporum è corpore amplioris possessionis, seu agri, etsi non designentur eorum confines; valida etiam erit retrocessio eorundem ad Livellum, in quo emptor retinendo sibi dominium directum, ritè, verè, ac rectè jam acquisitum, tradit venditori dominium utile; & constituit se Livellantem, illum autem Livellarium; siquidem fundamentum Livelli est præcedens emptio fundi, super quo Livellus est